

www.e-rara.ch

**Ioh. Iacobi Harderi philos. & medic. doct. anatom. & botan. prof. ...
Apiarium observationibus medicis centum ac physicis experimentis
plurimis refertum, & scholiis atque iconibus pulcherrimis ...**

Harder, Johann Jakob

Basileae, An. 1687

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62479>

Observ. LXXXI.[-XC.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

rari licet, fibrarum motus peristalticus est, superiora versus, quo calamo ilico vias occluserunt.

OBSERV. LXXXI.

Hæmoptœ ex mensium suppressione feliciter curata.

Barbara Eglin 17. annorum, paupercula, d. 15. 7bris 1681. conqueſta eſt de ſtrumâ ingenti, utrumque colli latus involvenre, cujus primordia antecellit abſceſſus, qui in dextro latere magis magiſque accreſcens, tandem à Chirurgo adapertus, & hinc conſolidatus fuit, ſtrumæ ſeminiis ſenſim pullulare incipientibus, ac in longum ac profundum ita ſerpentibus, ut difficilis omninò remediis fuerit locus, inprimis quòd ſanguinis ſputum levius, citra tuſſim, per intervalla patiebatur ægrota, nihilominus tentare aliquid neceſſum fuit, vel ulteriori accremento impediendo: præſcripti hinc pulv. contra ſtrumas uſum cùm malum eluderet, pilulas noſtras Mercuriales alternis diebus ſumendas, quòd ſtruma ad attactum mollecula erat, commendavimus, non neglecto ſanguinis ſputo, cujus cauſam legitimam miſella adhuc dum confiteri nequit, pudore præpoſtero ducta. Sed nec his vel illis quidquam effectum eſt, earum licet uſum in pertinentibus glandularum obſtructionibus, imò haud ita pridem ſcrofulis pullulantibus oppoſitum ſalubrem compererimus: d. X, Novembr. hæmoptyi, quæ alias inducias dabat, acriùs ingruente, quid tandem mali ſubſit ex ægrâ ſeriò percunctati ſumus, inprimis menſtrui floris ratione, cujus marceſcentiæ, quæ ſanguinem cumulant viſcidiorẽ, ſatis obnoxias noveramus: faſſa fuit tum à 17. ſeptimanis illo ſe deſtitutam fuiſſe, indeq; inſtante periodo ſolenni ſanguinis eruptionem copioſiùs ſenſiſſe, præprimis quòd vaſa ſanguine utcunq; turguerint, jam autem tuſſim, quæ priùs aberat, juxta vexare cùm reſpirandi difficultate, ſanguinemq; floridiſſimum ejici; Inſtitutâ V.S. quam pro ratione deinceps reiteravimus, ſymptomati urgenti & cauſæ apozem. vulnerariis detergentibus obviâ ivimus, non neglecto Martial. convenienti uſu ad vias uterinas reſerandas, ſanguinemque paulatim

tim in motum vegetiorem concitandum. His reiteratis, cum tantisper melius haberet, lactis vaccini vires experiri cum conserv. rosar. consultum duximus: inde corpore leni quodam cathartico disposito, manè jejuno stomacho cyath. i. lactis à cas. & cremore supernatante depurati exhibuimus, cum pulvere bi-horio post sumendo ex diaphor. Jovial. ocul. cancr. preparat. rasur. ebor. Nec hujus usum per septimanas aliquot continuatum inutilem comperit, quin tam molestum symptoma multum inde mitigaretur: quia verò menstrua inde non redierunt, de sputo planè substituro, certis esse non licuit, hinc subsequente Mayo feri caprilli virtutes exploravimus, quas egregias sanè hoc in affectu comperendo deprehendimus cum pulvere modò laudato: etenim sub initia mensis Augusti hæmoptysin omninò substituisse retulit, neque incommodi gravioris quidquam sentire, præter cephalalgiam per vices atrociter infestantem, cui sanguinis missione commodum occurrimus: Menstruorum autem ciendorum ergo, semicupia & pediluvia ex herb. salv. meliss. organ. puleg. fl. beton. stæchad. lil. convall. chamom. parari curavimus, venamque in malleolo deinceps tundi iussimus cum felici successu, tribus siquidem septimanis post, præcedentibus dolore & ardore in lumbis, hospes tam diu sollicitatus & expectatus legitimè comparuit.

S C H O L I U M.

Joannes Rhodius, Vir meliore fato dignus Centur. 2. Observ. 30. Mulieris meminit Patavinæ singulis aut alterius mensibus, sine pectoris offensâ sanguinem exspuentis, mentum per hoc pensato deliquio, in quo id tamen reperi dubium, an sine tussi prodierit, cum sequentis historiæ lemma tussim adfuisse haud obscurè testetur, Verba sunt Celeberr. *Pechlini* Ephemerid. German. Ann. IX & X Decur. 1. Observ. 27. apponitque hic paulò pòst, Exemplum Mulieris triginta duos annos natæ, macilentæ & quæ hæmoptœon periodicam menstruam pessa est, filiæ huic nostræ non absimilem, nisi quod apud illam menstrua simul fluxerint, quamvis parcius: de sanguine menstruo, ejusque fluxus causis, prolixius egimus, prodr. Physiolog. Id verò heic addere consultum ducimus, quodd circa uteri structuram evacuationi tam solenni maxime convenientem Celeberrimus Malpighius in epistol. ad Clariss. Jacobum Sponium datâ monet, de arteriarum ac venarum reticularibus plexibus (quos

(quos in utero vaccino sæpius conspeximus) tubulos uterinos variè & ita stipantibus, ut venæ amplitudine & numero arterias longè superare videantur, illarumque frequentius furtuli bini comitentur arteriam, cujusmodi vasorum texturam attentè ruminantibus, mirum non videbitur, cur per uterum potius, quam aliam partem menses erumpant: Legi quoque hanc ob rem meretur ratiocinium elegans Celeberrimi Bohnii, Fautoris atque Amici honoratissimi, quod progymnasim. XII. Circul. Physiolog. inseruit: Nihilominus, inquit, si flexuosos arteriarum æque ac venarum uterinarum attendamus tractus, si singularum miras anastomoses, certè nullibi talem vasorum sanguiferorum implicationem atque conformationem continget observari: peculiarem proin quoque ex hac eliciamus usum peculiariaque phænomena ratio suadet: scil. Sanguis per lateris unius uteri arteriam, dum ad furculos minores fertur, ab oppositi lateris arteriâ necessario aliam motus sui directionem recipit, illiusque pariter fluiori imprimi, ita ut utriusque rami sanguinis motus turbetur, & impetus illius aliquantum disfringatur, atque hoc quidem eo magis, dum à plexibus his arteriosis emergentes rami tortuosis pariter ac demum serpentinis ductibus in substantiam uteri feruntur. Simili ratione cum se habeant venæ, impetu sanguinis intra arterias recluso, lentè magis undulatione per harum quoque reticulatas implicationes ille vehitur, ut extra turgescantiam menstrualem, sanguinis motus ita infractus, stagnationi aliquid analogum patiatur, inque non gravidus, ob compactiorem uteri substantiam, ejusque tubulos non apertos, stagnans hic sanguis, instante mensum tempore anteriorem vaginæ superficiem adeuntes venulas divellat, ac per harum extremitates ruptas menstruum nomine promanet, id quod evincere videatur, quod nigricans nec ita splendidus, vel tanto cum impetu, sed lentè magis prodeat idem. Quicquid sit usque certum est, reticulares ejusmodi vasorum implicationes, ac serpentinos tortuososque ductus, singulari naturæ solertia efformatos esse, inque utero non modo sanguinis pulsu ex trunco aortæ allabentis impetum, menstruâ præprimis periodo, aut etiam graviditatis tempore infringere, ejusque jacturam, vasis repletis atque distentis, si eorundem oscilla hiscerent, fibrillis nimium fatigatis, reticulari hac expansione impedire, sed etiam succi nutritii cum cruoris particulis, per porosam uteri substantiam, in vascula foetus secretioni jugiter instituendæ, commodum ministrare, remeante sanguine reliquo, qui in tam minutis arteriolarum plexibus, de motu ac vigore suo non parum perdidisse potest, per tortuosas easque ferè duplicatas venarum ramificationes. E quibus satis constat, quæ uteri vasa conceptionis tempore turgescant, sanguine non tam extravasante & circa uterum collecto, quàm in ipsis hisce plexibus aggesto, particulas necessarias per tubulos uterinos subinde ad vasa foetus amandante, reliquo verò nonnisi lento cursu per venas in truncum cavæ remeante, ut vana non sit præfati Viri Excellentiss. suspicio,

de sanguinis ad stagnandum dispositione, sive mavis, in motu qualicumque torpiditate; Atque ista motus infractio, uti instantibus mensibus, massa humoralis turgescens, & in orgasmum aliqualem concitata identidem contingit, cum majore vasorum distensione, de quibus dolor gravativus ac tensivus, ardor item circa lumbos & hypogastrium, imò horroris ac caloris vicissitudines, particularum uti vellicantium, ira sanguinis in vasis congesti, nec libero motu pollentis indices, abundè testantur, ita sanguine ex se viscidior & hinc ad turgescendum inepto existente deficit, vel potius gravior existit, cruore per dictas vasorum implicationes nonnisi lentissimè moto & ferè subsistente; estque hæc Veterum obstructio in vasis, calorisque defectus intemperiei frigidae mater, à quâ sanguis crudior relinquitur adhuc, & fluxilitate necessaria destituitur, damno non exiguo, quod inde corpori universo inducitur; hærescentes enim ejusmodi particulæ, præterquam quod sanguinis circulationi, aliarumque necessariæ secretioni, à quibus turgescens ille statâ periodo aliàs se exonerare consuevit, obsunt, non rarò quoque acrimoniam induunt, partesque nerveas circa uterum aggrediendo motus convulsivos inducunt, motumque per inferiora sufflaminando, ut per alias vias natura, onerantis mole se sublevare nitatur efficiunt, ceu tum præsens, tum sequentes Observat, probatum dant: utque de aliis Menstrui fluxus suppressi causis, (quæ quidem variæ ab Authoribus recensentur, sed excepto morbo organico in utero vel hujus vaginâ, ad vitium sanguinis ferè, vasculorumque, præprimis vaginalium, si Excelentiss. Bohnium aliosque audimus obstructionem referri posse videntur,) plura dicere omittamus, in puellâ hac sanguinis lentescentiam aliquam, atque hinc ad motum ineptitudinem persuadent tum vita sedentaria, victusque ratio crassior, cui in loco, in quo illa degit, emancipantur, tum quæ eandem sequi facilimè potest, struma ex viscidis coagulatione, distortis ruptisque glandularum vasorumque tubulis ac fibrillis, paulatim adaucta: nec verò hanc vestigialis menstrui moram commodum tulit, quin repletis inde vasis pneumonicis vesiculæ pulmonis comprimerentur, non sine respirationis difficultate, simulque subsistente cruoris portione aliquâ in ipsius lobulis, perque poros tracheæ transudante, sputum sanguinolentum, primùm citrà, post cum tussi (quam particularum acredine vel ex solâ morâ susceptâ, vellicando peperit,) subsequeretur, cujusmodi copiosum experta fuit, ipsâ menstrua periodo instante, particulis cruoris magis turgescens & aggestis, ceu vasorum sanguiferorum turgiditas commonstravit, motuque intestino sanguinis qualitercunque suscitato, qui autem ferè in pulmonum vasis substitit, è quorum osculis hinc copiosius extillans, quam per venulas lentiore motu resumî poterat, multâ sui portione per tracheam tussi ejectus

etus fuit, donec aliquâ sui sarcinâ hoc modo liberaretur : Evasis tamen à tam molesto & sæpius funesto symptomate Misella medicamentorum talium usu, quæ cum sanguinis in pulmonibus grumescentiam præcavent, eundem viscidiorum incidunt, attenuant, ad justam fluxilitatem motumque aptum reddunt, vias obstructas referant, tum etiam ad vias uterinas ducunt ejus copiam minuendo, à quâ distendente ac opplente non rarò fibrillæ arteriolarum labefactantur, ut pristino vigore ipsum ulterius propellere nequeant, sicque plenis atque arctatis vasorum osculis, pondere isthoc revulso, tonum pristinum restituendo : cui equidem ultimo V. S. iterata, præprimis in malleolo, commodissima fuit, priori verò scopo, medicamenta vulneraria, absorbentia & detergentia, aperitiva item martialia, aliaque, præprimis autem serum lactis caprill. sale nitroso prægnans, non rejectis balneis, ac pediluvii ex emollientibus iisque parat. quæ rarefaciendo poros atque vias dilatant, utque cum Excellentiss. Wedelio loquamur, archæum suscitando, motum M. H. blandè invitant.

OBSERV. LXXXII.

Mensium per vomitum oculosq. excretio.

Rustica 40. circiter annorum, robusta aliàs & vegeta, sed Bacchi, quem jejuna etiam fervidè osculata fuit, ab aliquo tempore nimis amans, An. 1681. mense Junio, isthoc à Marito ingravidata, sua non amplius vidit menstrua, rata hinc se concepisse ex mariti ordinarii magis, quàm Dei vinosi consuetudine, animo subhilarari fuit diu, donec mense Octobri proximo, symptomatum infausta series, gaudium spemque omnem præciderunt, abdomen etenim cum artubus intumescere, misella circa præcordia angi, & difficulter spirare, facies pallescere, appetitus prosternei, viresque delassari ceperunt, adeò

Nox & amor vinumq. nihil peperere salubris.

Molestiores hisce tractu temporis fuerunt adhuc vomitus cruenti copiosi, nunc periodicè, singulis mensibus, nunc irregulariter ægrotam defatigantes : jam tum temporis rogati, quid periculi immineat, prædiximus, nî medicamentis convenientibus sedulo uteretur : Verum enimverò, quod vulgus sapere nescium factitat ubique, & utinam faceret solum, Agyrthæ extranei, cujus *ιατροσοφία* prudens nemo, nisi barbatulus laudabit, empiricam

vocem

vocem & remedia libentiùs audiit, quàm salubre nostrum consilium, suo quidem maximo cum damno, symptomatibus indies in deterius ruentibus: d. 25. Novembr. insolito pruritu oculi miseræ correpti sunt, quem sanguinis floridi ad 3 plures excepit effluxus: jam lecto affixa hæsit, vomituque cruento libera tantisper licet extiterit, de gravitate tamen & anxietate circa præcordia aliisq; symptomatibus conqueri non desit. D. 9. Jan. 1682, aliorum precibus, quibus parere filiale jubet munus, moti, (quod Homuncionis remediis nostra miscere nolimus) ipsam invisimus lecto miserè decumbentem: retulit tum octo diebus ante vomitu sanguinis multo, cum ejusdem per nares & oculos eruptione denuo infestatam fuisse, præeuntibus calore & horrore qualicunque, compressione circa præcordia, respiratione difficili, cum tussi, & succedentibus crebris animi deliquiis: sanguis quem evomit grumofus parum erat, reliquus tenuis & acris, instar loturæ carniū, pulsus frequens & concitatus, attamen æqualis: Imperatâ diætâ exactissimâ, & interdicto vini usu, sequentium commendavimus usum: Diaphor. Jovial, corall. rubr. præparat. sanguin. Dracon. v. terr. sigil. bol. armen. or. gumm. arab. oc. cancr. præpar. trochisc. de carab. & simil. m. & v. ad 3ß. sumendum, cum mixtur. per cochlear. sumend. ex aqu. destill. cum Tr. Mart. cydon. quibus utcunque bene habuit, anxietate circa præcordia & respirandi difficultate multum imminutâ. D. 18. Jan. menstruâ periode imminente, aliis locum concessit, quibus vomitio sanguinolenta jam subsistere, & per vias ordinarias menstrua tantisper comparere ceperunt: ægra etiam ad munia ordinaria rediit, de artuum inferiorum lassitudine potissimum conquesta, inde remediis dictis ulteriùs usa fuit, quibus addidimus pro decoct. ordinario. ʒ. Fl. papav. rhæad. bellid. m. ā pii. semin. anis. coq. in mens. ʒß. aq. comm. Verum enimverò quâ sui dulcedine liquor rubeus, sibi olim emancipatos pollicere consuevit, aliquot menses post, quod melius habebat, misera ad nocivi hujus Dei sacrarium rursus properavit, spreto Nympharum ab Jatrice temperatarum potu, minus ut ipsa augurabatur cordiali, indeque funestæ recidivæ scenam ilico vidit, vomitu redeunte

atrociter & abdomine sensim ex aquis intumescente, donec Creatori placuit animulam è suo hospitio evocare.

OBSERV. LXXXIII.

Menses per aures excreti præcedentibus motibus convulsivis.

1673 2
Anno 1683. quùm cum Venerabili Præceptore nostro, Excellentiss. D. Doct. Glaferonosodochii Ægros viseremus, offendimus Virginem annorum XXIV. corporis habitu macilento, faciei colore livescente, vultu humili, quæ medio ætatis cursu, ferè per triennium maniâ, scrophulisque in collo laboravit: Hæc circa ætatis annum 16. primùm menstruum vestigial exolvit, inde verò, cùm malæ victus rationi indulgeret, idem inordinatè, vel parcè vidit. Biennium ante, cùm ex toto mensibus se orbatam deprehenderet, acidulas quatuordecim dierum spatio bibit cum emolumento, rediit enim lunare tributum, quod olim amiserat, quia verò ob egestatem, usum earum ulteriorem relinquere coacta fuit, natura in motu suo rursus destitit, ut neque in illud usque tempus menses viderit: jam verò febris lenta corpus invadere tentabat, convulsionesque misellam exercere, quæ sanguinè ex aure sinistrâ fluere incipiente inducias dederunt, usque dum exacto mense, simili modo saviendi occasionem nanciscerentur. Sanguis qui excretus fuit ad 3ß. circiter, nigricans erat & serosus: Accessit tertiana febris, quamvis non exquisita, à quâ tamen prius symptoma non fuit imminutum: Fuit nihilominus ægra cùm à febrili insultu, tum etiam, mensium subsistentiâ, indeque pullulantibus convulsionibus, medicamentorum, aquarumque præprimis mineralium ope, benedicente Deo liberata.

SCHOLIUM.

Καταμηνίαν γινομένην πλεονον νῦσσι συμβαίνει, καὶ μὴ γινομένην ὡς ἐν ὁρίῳ συμβαίνει νῦσσι. Hippocrates inquit l. 3. aphorism. Prolixius super istud commentari, opus non habemus, cùm quæ symptomata, particulæ irritantes circa uterum collectæ, producere valeant, præcedent. Schol. memorave-

moraverimus, binæque hæ historiæ satis doceant, tum quas vias, ordinariis ferè præclusis, pro sanguinis cumulati excretionē, natura sæpius arripiat, tum etiam quàm gravem noxam, universo corpori *iste* subsistens, vel aliquibus suis particulis genus nervosum vellicando, inferat; enimverò *illa* vomitu sanguinem grumosum ejecit, reliquo floridiore interdum, maximam verò partem acri, ac loturæ carniū simili, ex osculis vasculorum in naribus oculisque extillante, præcedente pruritu in his insolito, à sanguine copiosius appellente, suâque tenuitate & acrimoniâ, fibrillas arteriolarum humectante ac titillante; hæc verò mania primum in inferiore ætate, cùm malâ diætâ mensium eruptioni obicem posuisset, convulsivos motus sustinuit prius, quàm sanguinis tantillum per aures erumperet, cujus quidem mali causas subtrahere malumus, quàm incertas proferre; utrum enim particulæ cruoris in vasis uterinis stagnantis (de quo menstruorum præcedens inordinatus fluxus argumentum non leve exhibet) acrimoniam sensim adeptæ, fibrasque illic, loci irritantes, an demum similes turgescēte utcunque sanguine per arteriolas ad aurem sinistram delatæ, ibidemque fibrillas nerveas in interioribus vellicantes, quibus nervosum genus illic consensit, ansam iis suppeditaverint, dubium omnino esse potest, quamvis hoc ultimum verisimilius videatur, cessantibus ad sanguinis acris, serosi & nigricantis excretionem, convulsivis insultibus, hisque nonnisi exactis quatuor septimanis, dolore circa lumbos vel hypogastrium atroci non comparente, invadentibus: de cætero cùm scrophulæ, & ingruens olim furiosus affectus, tum etiam victus succedaneus, ecquibus particulis sanguis imprægnatus fuerit, testari possunt, nec jam vacat ulterius in ista inquirere; id modò addimus, siquidem à mania fuerit liberata, in fibrillis cerebri graviores labem nos quærere non posse, eandemque, si quæ adfuit, crescente ætate correctam fuisse. Rusticam autem, quod etiamnum concernit, damnum sibi ipsa intulit vini nimia & intempestiva ingurgitatione, cui unâ crassior diætâ jungenda est, auctâque serî in M. H. copiâ, idem fatum quod hydropici superius, tandem experta est; enim verò suppressis magis magisque & eliminatis particulis volatilibus & balsamicis, sanguis admodum solvi, in motu suo fatiscere, serum in artubus inferioribus, aliisque abdominis partibus ab ipso secedere & stagnare, præprimis autem, in partibus pneumonicis subsistendo gravare, eque vasculis arteriosis unâ cum sero abscedens, cumulari & grumescere, tandemque vomitui cruento ortum suggerere cepit, cujus evidentia indicia fuere, anxietates primum circa præcordia & spirandi difficultas, inde etiam oppressiones circa præcordia graviores, respiratio difficilis cum tussi & animi deliquia, libero sanguinis per pulmones circuitu sufflaminato, quæ sanè sanguinem fluidiorem ac solutum, & qui arte-

riolarum fibris contineri amplius nequit, in dictis pulmonum loculis subsistere, atque inde confinibus partibus noxam inferre, majori certitudine persuadere videntur, quàm si ex ventriculi vasis grumescentem eundem, postquam in cavitatem ejus effluxit, repeteremus, potuitq; vomitus causa esse fibrillarum nervearum in aspera arteriâ irritatio fortis quâ œsophagiæ vicinæ ob intimam affinitatem unâ affectæ fuerunt, ceu tussientibus accidere sæpiusculè jam notavimus.

OBSERV. LXXXIV.

*Hæmorrhagia Uterina cum foetus immaturi
exclusione.*

Mens. Jan. 1680. Uxor honesta triginta & quot excurrit annorum, liberorum plurium mater, quorum tamen aliquot, vel ante terminum consuetum exclusit, vel in ipso partu, ex sanguinis impetu, non sine dolore suffocatos vidit, per quatuor circiter menses cum dimidio rursus gravida, caterùm hypochondriaca, ac hæmorrhoidum fluxui multò aliàs, etiam hoc ipso tempore obnoxia, nostro suasu salvatellam aperuit, ut *plethora* atque intempestivis sanguinis eruptionibus vel sic obviam iret. Sub noctem sanguis ex utero non citra vehementem Matris concussionem prorumpere incipit, minus tamen copiosè: *Symptoma* hoc chirurgus, qui V. S. largiorem instituerat, accensuit: Mox accersimur, audimusque juxta foetum, qui prius instar ponderis, medietatem ventris occupârat, alterum latus motu satis valido petiisse, ventrem etiam, qui ante hunc infantis motum insigniter intumuerat, detumuisse, subsequente copiosissimâ aquarum per loca convenientia evacuatione, quæ prius satis pauca & infrequens erat: Præscripsimus primo accessu aquam cordialem & bland. adstr. ex aq. fl. til. borrag. burf. pastor. corall. rubr. syr. granat. corall. quâ per cochl. usâ fuit. Externè paravit Empl. ex cydon. cum nuc. mosch. in Vin. rubr. coct. calidè imponendum, quibus bene habere sibi videbatur D. 16. Martii quum rursus accerseremur agraque de pristino malo redeunte, non citra tormina quæ circa regionem hypogastrii & lumborum persentiscebatur conquereretur, convenientibus, tum in formâ fluidâ

fluidâ tum solidâ pugnâvimus, spreverunt verò medicamento-
rum efficaciam symptomata, ægramq; d. 22. ejusd. cum impetu ad-
orta sunt, doloribus vehementer ingravescantibus, & ad usque
ossa pubis sese extendentibus (Nostrates *die schneidende Wehe*
vocant) anxii tum hærebamus meritò, quid apud ægotam, ma-
ximè contritam tentandum esset: Ex *unâ parte* sanguinis terre-
bat fluxus, ex *alterâ* verò fatum blanda calcitratio refecit, cui ac-
cessit temporis complementum deficiens, ad quod absolvendum
naturam adhuc studiosè collimaturam speravimus, Matrem inte-
rea bono animo esse jubentes, consultum interea non erat, vel
matrem vel foetum intempestivè torquere suasimus hinc quâ
ad demulcendas partes nerveas & membraneas, quâ pri-
mas vias blandè eluendas clysterem, post cujus applicatio-
nem naturam frequenter suæ intentionis indicia manifesta pro-
dere noveramus, sed renuit ægra: Propinavimus hinc julep. ex
confortante anodynum, & sacculo hypogastrium fovimus: Vix
anodynum sumserat, sacculumq; applicuerat, & en aquæ co-
piosè prorumpunt, quas sequitur lochiorum fluxus cum dolo-
ribus suprà nominatis: Sanguinis concreti & adusti frustra
ingentia, subfoetida frequenter exclusit acutissimis cum
torminibus: Quum singula diligenter ruminaremus, æ-
gram quietam detineri jubemus, & expectare usque
dum lochia inducias darent, propinabantur interea juscu-
la reficientia & roborantia, unâ cum aq. card. Hor. 3. ma-
tut. fluxu remittente haust. aq. lil. convall. & meliss. exhibuimus,
quem paulò pòst conatus mingendi & hinc egerendi insecuti
sunt, iiq; vehementissimi, sed nec multi nec diuturni: per
intervalla quoque unum alterumvè cochleare Bals. embryon
propinavimus quo assumpto conatus paulum redièrè, & obste-
rix foetum Matre multò cum nisu opitulante, pedibus tan-
demprehendit, & ex antro in quo hærebat feliciter extraxit.
sed mortuum, mensium circiter 7. in ipso jam utero Bubono-
cele laborantem.

SCHO-

SCHOLIUM.

Fœtum in uteri claustris detentum, unà cum sanguine per vasa materna illuc accedente, inque uteri tubulos depositum, succi nutritii particulas haurire, Hippocrates jam asseruisse videtur, quando I. *ὡς σαρκῶν & ὡς φύσις παύσις* inquit: τὸ παύσιον ἐν τῇ γαστρὶ συνέχον, τὰ χειλέω μύζει ἐκ τῆ μητρίων: ἔλκει τὴν τε τροφὴν καὶ τὸ πνέσσειν τῇ καρδίῃ εἶσω: ἔλκει μὲν δὲ τὸ τῆ αἵματός τὸ γλυκύτατον: αἷμα δὲ δὲ γάλακός ἐπαυρίσκει ὀλίγον: dulcissimum sanè in sanguine serum nutritium est, cujus iacturam fœtus ægerrimè fert, teste eodem I. 5. aphor. *ἢ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἔχουσα αἰμαθάρστες πορρόνται, αἰνύον τὸ ἐμβρυον ὑγιαίνειν*. Atque hinc est quod hæmorrhagiæ uterinæ gravidis supervenientes, plerumque abortum minitantur, cujusmodi frequenter accidere solent, vasis sanguiferis, quæ fundi uterini penitiora subire, vel Tyronibus constat, admodum repletis, fibrillisque ipsorum à copiâ enervari incipientibus, unde per tubulosam uteri substantiam in placentam hujusque vasa, legitimâ quantitate ille non secernitur, sed intra uteri cavum recipitur, ibidemque vel subsistendo, ulteriorem grumescentiam & acrimoniam acquirit, vel tenuior fibrillas orificiî alluendo laxat & fortè citillatione aliquâ istud aperiri facit, sicque exitum sibi parit: quandoque autem acredinem; sive ex mora sive ex se majorem, fibrisque uterinis satis inimicam obtinet, de quâ dolores & cruciatus enormes, quibus femellæ ejusmodi affliguntur, testimonium præbent, post sanguinis grumosi, & non rarè in majus frustum compacti, vel ejusdem loturæ carniū similis paulatinam excretionem, atque profluvium cessantes: In ejusmodi vasorum turgescentiâ convenientissimum remedium V. S. esse solet, quâ sanguinis copiâ minuitur, particulæ ipsius subsidere in vasis vel grumescere incipientes, divelluntur ac distrahuntur, simulque impeditur, ne vasa ultra elasticitatis suæ sphaeram distendantur, tubulique à cruore ultra capacitatem suam impleantur: Interdum à vehementiore motu sive corporis, ut saltu, cursu, &c. sive animi, ut irâ, exandescentiâ, sanguinis ex utero intempestivus effluxus concitatur, dum in illo placenta ab utero quocumque arctissime cohærebat, divellitur, indeque sanguini per tubulos affluenti in cavum ejus, contiguitate solutâ, via panditur, in hisce verò pathematibus, spirituum sanguinisque motus validè concitatur, à quorum impetu vasis eadem labe, quam modò meminimus inferitur: sæpenumero autem ipse fœtus à passionibus matris ita afficitur, ut præter modum calcitrando præcociorem exitum, ruptis quibus includitur membranis sibi pariat, de quibus plura inferius: fortè etiam concitato sanguinis spirituumque motu in fœtu, oscula aliqua capillaria distorti queri

queri aut distendi possunt in placentâ, ut dicta ipsorum cum tubulis uterinis per contiguitatem unio inde lædatur: Quandoque unio hæc foetu grandesciente statim infringitur, utero malè affecto: præprimis autem muco ejusteneriore existente, aut post frequentes, eosque graviores partus nimium abscedente, solent isthinc abortus facillimè succedere: Fœmina de qua in præsentiarum sanguinis copiam cumulavit, plethorica enim erat, & hæmorrhoidum fluxum etiam durante menstruo patiebatur, juxta eam sanguinis dispositionem nacta, quâ facile coagulatur, inque vasis lentioris motus subsistere ac grumescere amat: siquidem ad septimum mensem foetum gestaverit, in fibrillis uteri denudatis vitium quærendum esse non existimamus: neque etiam terror, qui ingruenti fluxui sanguinis accessit, primariam causam arbitramur: dum verò sanguinis liberum motum ac refluxum magis sufflaminavit, oppidò non parùm huc contulit: de motu corporis nocivo nihil constitit, ut hinc vasorum sanguiferorum opplerione, (quam superius explicavimus) ferè acquiescamus, cui nec V.S. medelam parare potuimus, quòd tubulis illius particulæ crassiores, de quibus frustra sanguinolenta subfœtida satis testantur, pertinaciter inhæserunt, usque dum aggestæ ex oscillis ipsorum erumpentes hæmorrhagiam parerent, stimulandoque fibras uterinas ad excretionem hortarentur, foetu ipso nutrimento suo magis adhuc ex aquarum eruptione orbatò, quam num dolores, hincq; subsequentes enitendi conatus unicè produxerint, an verò foetus calcitrans adjuvmentum juxta præbuerit? multum hic non disputabimus: Illius heic Tyrones & Chirurghi monendi sunt, comparente sanguinis tali profluvio, ad enitendum fœminas temerè adigendas non esse, foetu etiam maturo existente, sed expectandum tantisper, ne ejus fluxum, concitato spirituum motu magis promoveamus: neque etiam noviter nuptas isto comparente, non concepisse imprudentius dicere debere; novimus enim quibus reapse gravidis sanguis ex utero manavit, & quidem aliquibus ad medium usque gestationis tempus, meministq; similium Franciscus Mauricæus l. de arte obstetricand. Gallicè conscripto, atque è vaginalibus vasis ceu fonte illum derivat, quo utique sententia de menstruis ex eodem provenientiibus, statâ periodo in non gravidis elapsâ, stabiliri potest, quam Viri longè Clariss. ratione atque autopsiâ freri tuerent, persuadetq; uteri conformatio in virginibus, quâ omnes ejus parietes ita arctissimè connivent, sequæ contingunt, ut stylium orificium internum cum ipsis difficulter admittat, in his verò quæ utero conceperunt, post partum ad eandem configurationem ferè redeat. Equidem in puerperæ aliquot post partum septimanis sectione, cruoris portionem idoneam in uterico cavo reperimus, ceu in Exercitat. nostr. monuimus, virginum verò vel fœminarum paucis

ante obitum diebus menstruatarum cadavera hætenus non lustravimus, & propterea quo decet honore prosequimur Excellentiss. Pisonis & Celeberrimi Bohnii autopsiam, quorum ille in puellâ, ipso mensium tempore strangulatâ, solum sinum pudoris sanguine menstruo perfusum tinctumque observavit, utero prorsus sicco, talique quem ex puellarum sectionibus modò descripsimus existente: hic verò in dissecto infanticidæ corpore, pudenda cum vaginâ uteri sanguine menstruo conspurcata reperit, ipsâ uteri cavitate mundâ ac nitidâ.

OBSERV. LXXXV.

Vena cruralis spontanea apertio.

Rustica quadrata triginta & quot excurrit annorum, plurium liberorum mater, cum denuò concepisset, sub ultimum circiter gestationis mensem An. 1685. quotidiano labori vacans, in femore sinistro, non procul ab inguine, è venâ crurali turgescente, sed spontè apertâ, hæmorrhagiam insignem patitur, cui ligaturis aliisque vulgaribus, album ov. cum aceto rosaceo applicatis, vicini occurrerunt: quatuordecim abhinc diebus, cum pratis verrendis sola incumberet, vulnusculum nuperum enormiter recrudit, cui misella aquâ frigidâ, quâ corpus tantisper perluit, medelam quæsit, postquam binis hisce vicibus, ultra quatuor libras sanguinis perdidisset: quartâ septimanâ ægra mirum quantum intumescere cepit, inprimis collum versus, quod instar aquæ limpidæ pellucebat, D. 2. Aug. cum nos convenirent, actâque narrarent, sinistrum eventum prædiximus, inprimis si dolores partus ipsam non corripere, huncque ob finem misturam convenientem præscripsimus, quâ ex parte haustâ, seculo ipso manè infantulum feliciter enixa est: sub vesper. cum ipsam videremus cum D.D. Schorkopff, de partu gratulati fuimus, juxta verò ægram pallere deprehendimus, tumore colli quamvis remittente, & circa præcordia per intervalla opprimi: exhibitâ hinc unâ alterâve dof. Diaph. Jov. cum mixtur. cordial. additis blandis volatilib. perreximus, commendatis juxta jusculis & prohibito vino: quibus cum ipsa sedulò obtemperasset, licet paroxysmi graviores quandoque intercurrerint, attamen Deo benedicente, pristinam sanitatem feliciter recuperavit.

SCHOLIUM.

Naturam per varia excretionis loca, nimij quo gravatur nonnunquam excretionem solemnem moliri, hæmorrhagiæ parium uterique

rique itemque hæmorrhoides testantur: quandoque alias sibi vias quaerit, & ex locis de quibus non cogitaremus, sanguinem profilire facit: utq; de profluvio ex trunco membri unius alteriusve amputati per intervalla succedente, aliisque nobiscum viso verba jam non faciamus, illustria sunt exempla, quorum *ὁ πάλιν* Wepferus tract. de loc. aff. in apoplexiâ p. 230. meminit: primū constituit Matrona nobilis, cui è manus sinistrae pollicis extremi parte externâ, macula atrorubescens exorta est, è cujus medio singulis annis ter quaterve sanguis cum saltu, aliquot cubitorum altitudine, suâ sponte erupit, & quidem non parvâ quantitate, vase consuetâ portione emissâ citra opem medicam coalescente: secundum verò famula, cui effœtæ, mensibus suppressis, poplitea in pede dextro suâ sponte aperta fuit, magnamque sanguinis vim effudit. Nobis quoque haud ita pridem simile quid videre licuit in Viro ultra quinquagenario, qui cum ob vertiginem, quâ per intervalla corripiebatur aliquot diebus domi se nostro consilio contineret, in maxillæ dextræ parte superiore aures versus, ejusmodi maculam, sive mavis apiculam rubescentem percepit, è quâ postridie sponte aperta, sanguinis 3. aliquot saltu proruperunt, osculo se sponte claudente, & paucis diebus post redeunte maculâ, cruorem pari modo profundente, persuasumque habuit, cum sui emolumento istud accidisse, secuit hinc nostro jussu venam, statimque convaleuit: in gravidâ præsentē, non ex arteriarum oculis apertis, sed venâ crurali sanguis copiosè effluxit, videturque quantū ruminando quidem assequimur, sanguinem in trunco isthoc uberimè collectum & fortè crassiore, tunicam vasis adeò laxasse, fibrasque distendisse, ut illa quidem aliquantisper lacerata, hæc verò graviter à tono suo dejectæ fuerint, unde sanguis factâ rimulâ copiosè manavit, fibris valvulisque ab ejus copiâ labefactatis, obicem usque non ponentibus, quò accessit à fœtus pondere vasorum iliacorum, hincque rami hujus ceu proximæ sobolis compressio, à quâ utique sanguis cumulatus fuit, libero refluxu impedito, simulque ceu ligatura injecta fuisset, uberius effluxit, inde quamvis ex medicamenti vulgaris applicatione ligaturisve osculum obturatum fuerit, fluxusque tantisper substituerit, paulo tamen post rediit, musculorum artuumque inferiorum motu, ab operâ quotidiana cui vacavit haud dubiè suum hinc contribuente, neque manus dedit prius, quàm insigni vacuata copiâ vasa hæc usque fuerint depleta: Ejusmodi autem jacturam ipsam pessimè tulisse, intumescencia collum versùs præprimis, abscedentibus & subsistentibus particulis serosis ilicò invadens comprobavit, partium balsamicarum magno numero cum cruore deperditarum certissimum indicium, unde etiam infracta totius M. H. crasi, quam superstites conservare tenacius non poterant subsidiariis hisce destitutæ, motus ejusdem imminui,

particulæ aliquæ subsistere & coagulari, gravesque circa præcordia oppressiones & anxietates accedere ceperunt; quibus tamen etiam post partum redeuntibus, medicamentorum volatiliū balsamicorumque opē, pro viribus occurrimus, Ægramque benedicente Deo restituiamus.

OBSERV. LXXXVI.

Infauſta aneurismatis curatio.

Infelicibus auspiciis aneurismatis curam ſuſtinere cupiit juvenis triginta & quot excurrit annorum, cui in ſiniſtrâ colli parte arteriæ carotidis tunica ex gladii ictu rupra fuit tantisper: diu hicin Noſodochio la Charité dicto, ob vulnera, quæ abdomini etiam profundius inſicta fuerunt, decumbebat, antequam malum illud innotuit, primū à Dn. Morello, ægrum fortè fortunâ viſitante conſpectum: Coactō Chirurgorum conſilio anceps tandem operatio decreta fuit: locus hinc arteriæ vulneratæ notatus, ejuſque inferiore parte arctiſſimè compreſſâ, facta lancettâ incifio, grumique ſanguinis exempti fuerunt; inde ſanguini arteriâ aliquantum denudatâ cum impetu proſilienti, nodulis vitriolo coopertis, & aquâ ſtypticâ madidis proſpectum, ſuperimpoſitis plumaceolis compluribus, eâdem aquâ irroratis: aſt cū ad ligaturas deveniretur, quæ laxiores inefficaces fuiſſent, æger inter Chirurgorum manus expiravit.

S C H O L I U M.

Felicem aneurismatis exitū pauci viderunt, adeo ægrè ferunt arteriæ habenas ſibi injici: Ubi diſciſſa ferè vel rupta prorſus eſt arteria exitialem eventum mirari non oportet, cū quòd ex copioſâ ſanguinis effuſione ſpiritus viresque ilico deperduntur, ac putreſcentia vel gangrænôſis partibus facile inducitur, tum quòd nec ligaturis nec cauterio omnimoda oſculorum diſruptorum conſolidatio commodū impetrari poteſt, quin decidente eſcharâ in arteriis majoribus læſis, novum ſanguinis proſſuvium conſeſtim excitatur, id quod Ann. 1682. in ruſtico vegeto ac robuſto, ex infelici V. S. (quâ arteriam brachiæ impetrus Miniſter per medium diſciderat, ut quod autopſa poſt mortem ſubitaneam docuit, nonniſi de tenui filamentō fibrillæ ſuperſtites amplius penderent) contigiffe vidimus: Arcta alias ligatura miraculī inſtar hiantem pulſantemque arteriam ſubinde conſtringit, quod ipſum etiam

etiam fausto eventu fecisse novimus, arteriæ compressionem digitis factam & per biduum strenuè continuatam in brachio dextro militis 36. annorum, qui inter ferocientis Bacchi strepitus, à Commilitone gladio graviter vulneratus fuit: Arteriolarum capillarium oscula discissa, cum partium profundius sitarum abscessus aperirentur, solius Vitrioli particulis applicatis constricta fuisse, Parisiis itidem sæpè numero vidimus: in majorum verò ramorum læsione, illas solas unicè non sufficere experientia vicissim docuit: Auspiciatissimum tamen successum expertus est filiolus septennis, qui ex baculo ad sinistram capitis partem, quâ carotidum transitus est percussus, aneurisma periculosum incurrit, cujus historiam Illustr. Academ. nostr. Præses Fehrius Celeb. Th. Bartholino exhibuit, ceu videre est Epist. Med. Cent. 3.

OBSERV. LXXXVII,

Hydrops ovarii muliebris &c.

Rustica quadraginta & quot excurrit annorum, paupercula & ponderoso oneri ferendo assueta, ante triennium circiter dolorem persentiscere cepit, ponè articulationem femoris sinistri cum Ischio, gravidamq; juxta se esse arbitrata fuit: deficientibus menstruis dolores hi increbuerunt, cum femoris pedisq; sinistri atrophîa: Ab isto tempore difficulter incedere potuit, & nonnisi baculo suffulta, quin imo, cum ob pauperiem mali rationem segnius haberet, dorso amplius incumbere nequît: An. 1683. cum à Pastore loci rogaremur, ut misellam hanc inviseremus, vidimus pedem sinistrum citra sensum ferè motumvè graviter intumuisse, manentibus undique digitorum vestigiis, ægrâq; de dolore enormi circiter lumborum vertebrae & ossis innominati regionem, eoq; lancinante conquerente, quibus accessit urinandi difficultas, ut non absque dolore mingeret. Varia tum quâ externè ad lymphæ viscidæ lancinantis solutionem, quâ internè ad ejusdem seriæque subsistentis attenuationem & vacuationem præscripta remedia, sed absque feliciore successu: tandem ad scarificationem in pede imò devenimus, quâ multa aquarum copiaeducta fuit, pesq; totus detumuit: diu tamen hoc in statu non perstitit, quin factâ novâ stagnatione, ex seri cum sanguine accedētis extravasatione, lymphæq; in suis vasis subsistentiâ, immane quantum intumesceret, cui scarificatione profundiore non saltem hic sed parte etiam superiore iteratâ occurrimus, aque-

que copiosissimè iterum eductæ, non neglectis interim mediis internis & externis: Fonticulus quoque pedi dicto inustus, ceu ex quo aquæ continuo manare possint: Ann. 1684. intra musculos femoris vastos, tumor conspiciebatur digitis cedens, & folliculo quasi inclusus, è quo inciso manu Chirurgi materia primùm viridis acerrima, inde piscium ovis similis, tandem ichorosa fœtens profluxit: specillo immisso ad inguen usque pervenit Chirurgus, ut de sinu profundiore in cavum abdominis pergente non dubitaverimus: interea injectionibus certatum ex vulnerar. balsam. detergentib. ac putredini resistentibus: Parte inferiore, femori magis adversâ, tumor alius deinceps prodiit insignis, ut priore tantisper relicto, ad hujus apertionem necessariò progrediendum fuerit, qui apertus ichorem acerrimum fudit, simulque finem ostendit, pone os Ischium versus sacrum & lumborum vertebrae pergentem, cui itidem convenientibus obviam ivimus, quibus tamen nihil magnopere effecimus, quin in deterius labente corpusculo, viribus exhaustis placidè expiraret d. 7. Jun. 1684.

Historia Anatomica.

Cadaver lustravimus postridie præsentibus Vir, Nobiliss. D.D. Schorkopf, Hildesf. D.D. Nâbelio Heidelb., & D. Cand. Kartschero|Brig. Siles. Chirurgisquæ aliquot è viciniâ: Antequam abdomen incidere-mus, in hypogastrio tumorem renitentem animadvertimus, ad cujus examen ilico perrectum, separatis undique integumentis & peritonæo rescisso: Tum verò in pelvi ovum prominuit, aquâ limpidissimâ subsalsâ, parum fœtente ad 3xviii. prorsus distentum, quod totam illam regionem opplebat, vasis elegantibus donatum, à quo aliquantum remoto uterus inferius pendebat, densus crassusque, & ad latus dextrum ovarium marcidum, superius autem abscondita prodiit vesica urinæ receptaculum: Inde cum ovum istud accuratius pervestigarem, vidimus secundum ipsius medium expandi oviductum cum extremitate suâ foliaceâ, nullo alio ovarii comparente vestigiò, ceu curiosis etiamnum demonstrare possumus: Epiploon penè consumptum erat: Hepar & lien semiputrida: Mesenterii glandulæ duriusculæ fuerunt, & pancreatis faciliè atteri poterant: Renes flaccidi & in sinistro conspicuæ protuberantiæ aliquot, cujusmodi glandulosæ in intestinis quandoque observari solent, quæ cultello incisæ, glandulas corticales cum fibræ ductibus egregiè

giè ostenderunt : Thorax apertus pulmones non quidem adnatos sed putridos exhibuit, punctulis nigricantibus innumerè maculatos : Pericardii liquor modicus, sed cor quoad externam superficiem quasi erosum, in cujus auriculâ & ventriculo dextris sanguis grumofus cum polytis multus hæsit : Interna verò substantia tota corrupta fuit & flaccida : Os ilium parte anteriore perforatum fuit & nigricabat, effluente ichore, à quo stylus argenteus in abdominis cavum immissus mox arrosus fuit, quod à sanie à lumborum vertebriis & osse innominato versus inferiorem femoris partem secundum musculorum ductum diminante, pariter evenit.

S C H O L I U M.

De atrophîâ quædam propalandi nobis heic occasio subnascitur, quam in universalem marasmm dictam & particularem Practici distinguunt, hancque ipsâ rariorem uno ferè ore pronuntiant, cujusmodi exemplum illustre, aliquando prolixius sistemus, atrophîæ viz. ossis coccygis, ex violentâ Venere contractæ, factâ profusione & jacturâ spirituum animalium, simulque accedente nervulorum compressione in fistulâ ossis sacri, à lymphâ extravasatâ & in mucum concretâ, quam fortè succum nervosum alii interpretabuntur, de quo autem fusius heic dicere non constituimus : sufficit atrophiam ut plurimum morbum vel organicum agnoscere, nervorum compressionem, aut etiam coanguustationem vel obstructionem, vel intemperei, M. H. nempe talem vitiationem, quâ particulis ad nutriendum aptis illa destituitur, sive jam vitæ vitio illæ suppeditari nequeant, sive partium chylificationi ejusdemque distributioni destinatarum labe non accedant : ferè autem spiritus animalis in causa esse solet variè deficiens : enim verò cùm alimentarium particularum secretionem, tum earundem agglutinationem suâ præsentia egregiè promovet elatere suo, vel tubulorum in partibus nutriendis tonum conservando ac fovendo, imò ipsissimas Massæ particulas in blandâ dulcedine sustentando, quâ dispereunte sibi relictæ acriores fiunt, fibrillasque nerveas vellicando atrocissimo dolori, qui in atrophîâ persentiscitur, occasionem dant : Quod nervos obstruit, vel comprimit serum est vel lymphæ, aut etiam sanguinis grumescens portio, perreptant siquidem minutæ arteriolæ vertebralium propagines spinalem medullam, è quarum oscillis, casu potissimum vel ab aliâ causâ externâ vehementiore sanguis quandoque excutitur, ibidemque subsistendo grumescit, ceu superius in artuum inferiorum *αιμαδινοια* innuere cepimus, lympham verò lentescentem sive in vasis, compressione ipsius motu impedito, sive extra vasa, uno alterove ipsorum rupto,

rupto, nobis persuadet autopsia, quâ in fœtibus vitulinis abortivis in fine spinalis medullæ interdum vesiculam lymphâ plenam invenimus, observavitque idem in fœtibus ovillis Excellentiss. Wepferus: sæpè numero autem nervi coangustari videntur, inprimis in iis qui incurvati incedunt, ponderosæque moli ferendæ assuetæ sunt, & interdum distorqueri, sicque spirituum influxui via præcludi: Id heic decidendum videtur, quî spiritus animalis absentia ex compressione nervi hic accusari possit, cum tamen sensu omni pars non careat, id quod etiâ in paralyfi notamus, in quâ pars quidem motu sed non sensu destituitur: sunt qui hoc expediunt distinctione inter nervos sensorios & motorios, illos in paralyfi salvos volunt, hos non item. Nobis distinctione hæc non rejectâ, cum multò major copia spirituum requiratur pro motu, quàm verò pro sensu in animâ ciendo, videtur sive unicâ fibrillâ nerveâ superstitere rationem faciliè dari posse, cur sensu pars adhuc gaudeat, cum è contrâ nec una nec duæ pro motu conservando sufficiant, id est, quod fibrillæ in membranas tenuissimas abeuntes, usque salvæ supersint, principio etiâ à quo ortæ sunt, gravius non læso: Quicquid sit in Rusticâ nostrâ & coangustari è lumborum vertebis, vicinisque ossibus ad musculos cum his tum femori pedique incumbentes transeuntes nervi potuerunt, & comprimi à coagulata & subsistente lymphâ, quod malum haud dubiè causa externa, gravis viz. ponderis sub quo incurvata incessit gestatio frequens produxit, accessit dehinc mala vitæ ratio, ob quam sanguis torpidior viscidiorque generatus, menstrua subsistere fecit, sensimque reliquorum symptomatum proventum adjuvit, nempe ab hærente lymphâ acredine sua vellicante, dolores circa ischium & in lumbis primi pullularunt, maloque sensim radicato, deficiente spirituum influxu, partes vicinæ, femur præprimis cum pede nutrimento defraudari ceperunt: accessit motus impotentia, unde sanguinis lymphæque circulus magis sufflaminatus fuit, serumque à cruore usque non volatili & balsamico abscedere & unâ cum illa subsistendo, tam gravem intumescientiam parere cepit, particulis ejusdem aculeatis, (de quarum corrosivo genio maculæ in pulmonibus, cordisque superficies in histor. descriptæ testimonium perhibent) cum subinde membranas fibrasque vellicarent, dolorem non exiguum inferentibus: accessit primum obnervorum confinitatem, dolore circa lumbos urgente, mingendi difficultas quâ cum dolore lotium excrevit: Medicamentis variis malo succurrere annisi sumus, sed in cassum, quod cum lymphâ incor-rigibilem lentorem tum nervi graviorem labem contraxerant: & quamvis scarificatione aquæ copiosissimèeductæ sint, primariâ tamen causâ non ablata, diluvium idem ilico incruduit, imò femur ipsum periit, collectis particulis feri etiâ in abdomine acerrimis viridescen-

tibus:

tibus, ossaque ipsa erodentibus, de cujus aciditate summâ stylus argenteus immissus ilicoque arrosus testari potest, particulis ramosis ac ad motum minus aptis, invicem cohærentibus, sibi que ita complicitis ovula illa piscium, particulis magis ramosis ad latera protrusis constituentibus, è cujusmodi etiam particularum similium congerie materiam læti coagulato similem profluxisse vidimus: scilicet è poris arteriarum distortis ac ampliatis, quandoq; etiam exesis, cruor serosus aliisq; particulis variis prægnans profluit, quæ deinceps sive folliculo includuntur, particulis dictis ad latera secedentibus, ibidemq; invicem conglobatis reliquas involventibus, aut liberè stagnat inter musculorum interstitia, reliquâ sui parte per venas utcunque remeante. De hydropo ovarii muliebris, quem primum in hac fœminâ contuiti sumus, Clariss. D. D. Schorkopf, in Dissertat. Inaugural. hac ipsâ occasione eruditè scripsit, eandemque exemplis à Celeberrimo Wepfero communicatis illustravit, ut necesse non sit pluribus super istum commentari: Confirmavit nobis ille ovarii structuram à Malpighio, Graëfio, Vir Celeberr. aliisque studiosè sub cultrum vocatam & detectam, quam in animantibus Bruti sæpiusculè rimati fuimus: Elegantes sanè sunt vasorum plexus, qui ovarium undique investiunt, & notatu dignissima vasculorum minimorum expansio, quibus ipsa ovula, perreptari deprehendimus, unâ cum fibrillarum, seu mavis, tubulorum subtilissimorum serie, quorum ope ex iis materia congrua, pro ovi maturatione jugiter secernitur, quibusvè vel obstructis aut compressis aliterque læsis, ut viam liquori secernendo negent, sterilitas subsequitur, ruptis verò laceratisvè à feri extravasantis vel lymphæ stagnantis, aut è vasculis suis ruptis, exundantis copiâ, hydropi dicto via sternitur, de quo *ille* proluxius: Id modò heic addimus vasorum copiam atque implicationem, quâ in ovario quâ oviductu & tuba conspicuam, unâ cum aquarum undis considerantibus ac perpendicularibus, verisimile fieri, serum ex vasorum sanguiferorum osculis copiosè abscedens & collectum pari frequentia affectum hunc producere, ac lympham è suis canaliculis extillantem.

OBSERV. LXXXVIII.

*Historia Anatomica memorabilis.**Communicata ab Excell. Sponio.*

Die 20. Martii, anni 1681. horâ primâ pomerid. denata est Lugd, Gallor. honestissima matrona, Mauricii Avinan

Tt

Sartoris

Sartoris Vxor, annos nata LX. quæ valetudine satis commodâ usâ fuerat ad annum usque ætatis unde quinquagesimum, quo toto temporis tractu sedecim omnino liberorum, totidem diversis puerperiis mater evasit, quanquam ex isto foetuum numero duo fuerint abortivi: postremum tamen puerperium laudabile admodum fuit. Anno itaque unde quinquagesimo ætatis, tertio aut quarto mense postquam *καταμύμια* periodica *κατὰ λόγον* exulassent, tumor quidam internus pusillus cepit in regione hypogastricâ suboriri, qui paulatim ad extremum usque vitæ diem ultra modum increscens, omnes rei conscios varia in ratiocinia meritò pertraxit, etiamsi ipsarum nullus verum scopum visus sit attigisse, suisve conjecturis assequi potuerit tam prodigialem Naturæ molitionem. Tumor porrò iste sensim augescens, intolerabilis demum evasit, tam ratione molis quàm ponderis insolentis, adeò ut etsi non priùs lectulo planè affixa fuerit muliercula, quàm per tres ante mortem septimanas, ædibus tamen pedem efferre aut in publicum prodire, toto ferè postremi quem vixit anni spatio nequiverit, donec Parca tandem ægrotanti finem ærumnarum fecit, eo ipso quod statim ab initio indicavimus tempore. Tunc itaque Chirurgus familiaris de Cadaveris apertione consilium cepit, ut causæ morbificæ morbiqûe natura palàm oculis usurpari posset. Cadaver ergo mensæ impositum, spectaculum adstantibus exhibuit planè portentosum, propter miram ac enormem totius ventris inferioris struicem ac elationem, quam filo dimetiri primò visum fuit, antequàm cultro tentaretur apertio, dimensionum quibus constabat explorandarum gratiâ. Quare productò à cartilagine xiphoide ad os usque pubis supra umbilici regionem filo, eodemqûe similiter à transversis apophysibus spondylorum lumbarium unius lateris usque ad apophyses transversas prædictor. spondyl. alterius lateris, itidem supra umbilici regionem protractò, eandem mensuram dari innotuit, puta quinque pedum utrobique: unde Geometra peritus non difficulter capacitatibus subditæ amplitudinem collegerit. Ut autem partium interiorum *κατάσπαισις* liquidò patesceret, oportuisset cautiùs procedere, quàm factum est à præcipiti chirurgo, qui citra ullam *προειρηνησιν* derepente scalpellum in partem inferiorem hypo-

hypochondrii dextri altè impegit: quâ pertusione factâ extemplò incredibile quodam impetu liquor inde prorumpere cepit, nullo penitus foetore præditus, colore subcruento, qualis ferè esse solet vini vappescens, & quidem tantâ copiâ, ut sex urceos ad minus repleverit universos: quæ quantitas collectim sumta ad libras præterpropter centum & quadraginta adscenderet, habitâ consistentiæ materie ratione, quæ tum lotio, tum sero hydropum ascitarum aliquanto spissior erat. Hoc pacto ubi detumisset venter inferior, mox apertio ipsius instituta fuit à Medico præsentē, nimirum ab cartilagine xiphoide ad os pubis tendendo, nec non altera sectio transversalis etiam adhibita. Quo facto, atque ipsâ cavitate sic abundè referatâ, nihil protinus in conspectum se exhibuit quàm membrana validissima utrifor-
mis, quæ visceribus universis in abdomine sitis superstrata, ipsa obumbrabat, & quæ hinc inde ipsis adhærescebat, videl. ad cartilaginem xiphoiden, costas spurias, epiploon, ventriculū, ac peritoneum ferè totum, parte saltem superiore, unde fibræ innumerae huic membranæ suppeditabantur, quæ fibræ totidem erant minuta vascula succi nutritii vectricia, underobustior, durior & spissior reddebatur quàm peritonæum vel etiam duplicatum. Nec difficile admodum fuit, membranam istam utri-
formem ab omnibus vicinis partibus sine ulla laceratione liberare: præterquàm à Tuba uteri sinistra, cum qua continuitatem habere manifestè constitit; adde quòd specillo subtilissimo ductum satis evidentem deprehendere licuit, ab ista imi sacci cavitate in ipsum usque uteri corpus pervium, qui ipse uterus solito crassior erat, ac nonnihil scirrhusus: unde conjectari fas est, *κύστιν* adeò vastam nil aliud fuisse, quàm Tubæ illius sinistrae dilatationem, cujus Tubæ extremitas fimbriata testiculum vel si mavis, ovarium sinistrum amplexans ac obvelans, initio quidem hydatidum quarundam iis in partibus non infrequentium *κυστί-
δων* excepit, quas ipsas hydatidas nihil aliud esse quàm vasorum lymphaticorum dilatationes, credibile est. Observandum autem heic venit, I. Tumorem hunc pedetentim, sine sensu doloris, ac citra omnem inflammationem pullulasse ac incrementa sortitum esse. II. Quùm auctior evaderet tumor, ægram suam

Evexiæ partem demum amisisse, neque tamen vel crurum vel femorum ullo turgore affectam fuisse, qualis in hyderis subnascens aliàs notari solet. III. Quòd statim à prima mali genesi serum quoddam per assiduam quasi exudationem (nequaquam verò per fluxum periodicum) *ἐκ τῆ γυναικείαν* exstillarit, & quidem serum ejusdem planè coloris, ac in cavitate illa longè amplissima stagnabundum. IV. Quòd nullo pravo odore prædita erat materia illa stagnans. Testiculus porro sinister, sive ovarium, mole suâ æquabat majusculum gallinæ ovum, in quo hydatides numerosæ, satis insignes probè distinctæ apparebant, in unum veluti globum coactæ, sed variâ materiâ refertæ, aliæ quidem liquore lymphatico limpidò & glutinoso, aliæ magis concocto & albidiorè. Testiculus verò totus Tubæ uterinæ tunicâ vestiebatur, quæ ipsum superiùs planè amiciebat, & continebat, imò etiam per semipedis spatium altius quàm situs ipsius naturalis postulabat. Dextra uteri tuba, ut & testiculus ejusdem lateris naturali planè modo visebantur constituta. Sacco illo ingente undique remoto, partes omnes abdominis comparuerunt satis bene constitutæ, sed sursum à prædicto utre propulsæ. Pancreas tamen perfectè scirrhusum erat. In exteriori abdominis regione observatum quoque hypogastrii dextri partem versùs os pubis inguen item dextrum, & pudendi totius dextram partem, gangrænosè affectas esse. Crus quoque dextrum, postquàm per viij. aut x. dies ante mortem quasi *ἐφθον* intumisset, gangrænâ correptum fuerat per quinque duntaxat aut sex ante obitum horulas. Quæ partium dextrarum gangrænosis non aliunde profecta fuisse videtur, quàm à pondere immani prædicti utris tantopere infarti, quod partes dexteras fortè magis comprimens, quàm sinistras, liberum nectaris vivifici appulsum ad partes illas interceptabat, ut proinde præ hujus ipsius defectu corruptionem sentire coactæ fuerint. Aperto thorace, pulmones toti nigri, propter prægressam phlogosin, animadversi fuere, quin & ad latus sinistrum pleuræ perinaciter agglutinati & adherentes erant, ut sine laceratione inde avelli minimè potuerint. Nec mirum, cùm Diaphragma ab utris supra memorati inusitatâ magnitudine ac foeturâ tam violenter sursum versùs protruderetur, ut præ angustia thoraci conciliatâ, liberatis perquam parum

parum motui pulmonum relinqueretur. Cor, aliaque partes circumvicinæ nullâ ἀξιολόγῃ noxæ vestigia præferebant.

S. P. D.

Vir Excellentiss. ac Amiciss. Dom. Doctor HARDE RE,

De summa tua Philomusia valdè te amo, quam ex postremis tuis a. d. Nonar. currentis mensis, S. N. probè acceptis, abundè perspicere licuit. Quandoquidem ergo Historiam Anatomicam superioribus meis ὡς ἐν τύπῳ tibi communicatam plenius cognoscendi cupidine te incendi innuisti, totam ipsam ab Amantiss. Collega nostro Dom. de Ville, Anatomico non incelebri, Gallicè perscribi curavi, quam Latino idioma te heic exaratam Tibi denuò libens impertio. Quamquam autem ingens illa materiæ in utre prægrandi repertæ fœtura te quodammodo terrere, aut suspecta esse possit. cave tamen dubites, quin res verè sic habuerit, nihil enim heic ὑπερβολικώτερον in medium prolatum fuisse, quotquot φιλολογῶν dissectioni isti interfuerunt, unâ voce seridè nobis affirmarunt. Quapropter quæ præcedente epistola à me super hac historia dicta fuerunt, meliora nunc monitus, candidè retracto, planeque indicta volo. Habeo præterea aliam quoque Historiam Anatomicam penes me, adhuc mirabiliorem, de duplici utre, ex utraque Tubarum uterinarum prognato, ac per dissectionem reperto, in cadavere uxoris Dom. Jo. Claudii Marcellini, unius ex meis quondam Collegis, cujus quidem si talibus delectari te sensero, participem quoque te facere nullatenus tergiversabor. De observatis nuper in Gallinæ dissectione, magnam habeo gratiam. Vale, Vir Eximie. Datum Lugduni die 3. 13. April. 1681.

Τῆς ἐλοκλήρης,

CAR. SPONIUS, D. M.

OBSERV. LXXXIX.

Dystocia ex integumentis cranium fœtus involventibus, sanguine extravasato antèrè refertis &c.

Suavis est rustica vita, sui que commendationem ab Eruditis abunde retulit, utpote tranquilla, tuta & à tot invidiæ & æmulationum procellis librea:

*Libera simplicibus curis, suâ contenta requie
Et quam non vario traxit fortuna tumultu.*

Tc 3

Quin

Quin concludere liceat cum Claudiano:

Erret & extremos alia scrutetur Iberos

Plus habet hac vita, plus habet illa via.

Est tamen & suis obnoxia incommodis, quæ ejus amatores, eo æquiori ferunt animo, quo voluptates transitorias minus curant, vel ignorant, suâ potissimum manu ἀναγκάζουσιν ἀγωνίζουσιν περὶ τῆς βίης καὶ ἐκάστῳ τῶν ἡμέρων, de quotidiano victu parando, solliciti esse edocti: optimè hinc monuit vetus ille

Ἐν τοῖς πολεμίοις ὑπερέχον τὸν ἀνδρα δεῖ

τὸ γὰρ γεωργεῖν ἔργον ἐστὶ οἰκείον.

Πῶς ἔχεις, ὡς ἴχαναι εἰ δαπάνησαι

τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ χωρίον.

In bellis prestare aliis laus magna Virorum,

Servilis multum rustica vita sed est.

Anne vales? macilentus ades? mens disperit eheu

Quotidie Domini pradia namq, colo.

Veritatem horum ex aliqua parte experta est foemina rustica; 8. annorum, quæ cum per biennium marito usa esset, læta tandem concepit, & propediem enixura erat: Paucis ante terminum septimanis; τῷ βέλτιον ζῆν ἕνεκα, hæc ipsa, Maritum qui Vulcani filius erat in opere audacter adjutura, seu uti Apoll. Rhodius loqui amat l. 4. Argonaut.

Ἐλθεῖν εἰς ἀήλεις, ὅθι τ' ἄκμονες ἡφαίστειο
Χάλκεοι σιβαρήσιν ἀρξάσονται τυπιδέσων.

rursus aditura
Littora, ubi resonant percussa pondere vasto
Vulcani incudes, fumig, exastuat unda.

Hypogastrium maximopere protuberans, incaurè malleo feriit, atque istud, quod minus periculi portendere credebat, omnibus reticuit, & quidem d. 5. Maji 1681. exacto gestationis tempore, dolores partus ingruere ceperunt, aquæ d. 6. sub vesp. profluxerunt, & mater omni vi eniti conabatur, ast irritò planè successu, licet medicamenta ab obstetricibus ad hæc munia destinatis, varia fuerint propinata: D. 8. sub vesp. vocamur, & hætenus actorum seriem postulamus, quam adstantes fideliter enarrarunt,

inpri-

inprimistum de enitendi necessitate deficiente, orificiique uterini exactissimâ constrictione conquestæ: Nos qui foetum jam à multis horis emortuum suspicabamur, cum ex diutina, quæ præcesserat mora, tum ex dolorum omnimodâ cessatione &c. matri viribus adhuc pollenti mixtur, ex aq. puleg. ment. borac. Venet. croc. essent. succin. cum syrup. de artemis. suavisimus, injecto juxta clysmate stimulante, hinc ad enitendum matrem incitavimus & manuum operâ extrinsecâ, quantum licuit juvimus, propinando subinde cochl. aq. cardiac. Sed incassum fuit hæc nostra opera, nullis subsequenti partus, quamvis suis cum adstantibus partibus strenuè mater fungeretur apparentibus vestigiis, quin ingeminarer obstetrix sæpius, se ne gry quidem de foetu percipere, in quo tamen hallucinata fuit graviter, & fortè aliæ cum ipsa, artis obstetricandi minus peritæ: Rogati proin ab adstantibus, præprimis Reverend. illius loci D. Pastore, ut matri admodum periclitanti succurreremus, manum operi applicuimus, quâ potuimus industria & dexteritate: mox autem uteri orificium adapertum deprehendimus, foetumque capite exitum quodammodo molitum esse deprehendimus. Quod verò obstetricem decepit, fuerunt cranii integumenta, ob sanguinem extravasatum, instar vesicæ aquâ refertæ propendentia, unde leviori attractu, non corpus aliquod duriusculum, quale foetus caput est, sed molleculum misella percepit: quum itaque digitis orificium uteri circumspectè dilatari, atque de foetus situ & statu evidentiora indicia capeßere studeremus, prædiximus facile, omnes ad quos matrem fatigatam, adhucdum instigare volebant conatus si impenderentur, incassum fore, corpore illo propendente vias ita præcludente, ut quoties eniti misera volebat, hoc orificium uteri totum unice replet: ægram inde debitè collocatam quietè decumbere, subindeque jussula confort, cum aq. card. exhibere jussimus: Accepto interim forcice corpus præfatum incidimus, sanguinique viam aperuimus, qui etiam copiosè omnium cum stupore prorupit: hinc cum à dehiscens cranii ossibus dolorosè sæpius mater læderetur, eadem cum cerebro (factâ prius decenti incisione) maximâ ex parte liberavimus & ex-

citra

citra graviorem parturientis molestiam, integrum ζ. 9. extraximus; placentam quin etiam, quæ paulò adnata erat, funiculo umbilicali resecto, digitorum ope abscedere fecimus. Puerperæ lecto restitutæ roborantibus, aliisque quæ genitalia concernunt, medicamentis prospeximus, imperatâ diætâ exactissimâ. Altero mane bene habuit utcunque, lochiis fluentibus, nec multo circa partes uterinas dolore vexante: Pulsus tamen concitator & frequentior, ob causas prægressas satis evidentes, & sitis quæ ingravescere cepit, sui rationem aliquam haberi voluerunt, unde usum commendavimus mixt. bland. diaphor. & cordial. D. 11. cum lochiis non ritè fluentibus, febris aliquomodo ingravesceret & hypogastrium intumesceret, tenesmi verò vel urinandi difficultatis aut ardoris, vel etiam foetoris nulla adessent indicia, ad fluidi attemperationem, sordium eluitionem & humorum acrimoniam in viis uterinis demulcendam Emulsion. cum injection. uterinis commendavimus, addito decoct. ordin. lapide prunell. D. 18. ejusd. cum ipsam accederemus bene habuit, venter detumuit, appetitus vigebar, neque sitis urgebat amplius: *Φυλάξεως* ergo iussimus iisdem insistere, addendo pulv. ex diaph. Iovial. oc. canc. ebor. corall. parat. Atque his ritè ita usurpatis Deo annuente pristinam sanitatem recuperavit, inque hunc usq; diem vegeta, aurâ hâc vitali fruitur, autè annum & quod excurrit, filiolo feliciter beata.

OBSERV. XC.

*Fœtus semiputridi secundinis 9. diebus ante excretis,
ex utero extractio.*

Fœmina 40. A. ex ditione Solodur, aliquot liberorum mater, A. 1683. post quam menses ordinarios feliciter emensa esset, doloribus partus, d. 18. Jul. obruitur, aquæ erumpunt cum sonitu, & postridiæ secundinæ sequuntur, citra autem fœtus, quem anxie præstolabantur, egressuri ulla indicia: Variarum muliercularum medicamenta experiuntur, sed non ad votum: d. 20. fœtus emori incipit, quod mater ex pondere, & omni calcitratione deficiente cognovit. Miseri adstantes quid factò opus ignorant: Partam

tum singulis quidem diebus avidi expectant, sed in nonum ultique diem, (qui erat 28. Iulii) voto suo frustrantur: Accedit hinc ad nos maritus, consilium postulat & operam: Redarguimus moram intempestivam, & periculum à putredine matri imminens significavimus, præscriptis nihilominus convenientibus remediis uterinis & cordialibus: Aliquot horis post parturientem cum Clariss. D. Doct. Scherbio Episcopocell. invisimus, remque omnem, uti Maritus enarravit, deprehendimus: hypogastrium supra modum erat distentum, sitis vehemens, pulsus paulo frequentior, nec dolores enitendi amplius invadebant: Dum nobiscum mater se accingit exclusioni, foetor insignis nares ferit ilico, putredinis in inferioribus uti evidens *τεχμήσιον*, ita operationis accelerandæ calcar: Postquam orificii interni, quod ferè occlusum erat penitus, aperturam ac dilatationem digitis blandè impetravimus, fæces fluidæ olentissimæ proruperunt, quibus cum viam dedissemus, foetus in internis uteri latebris etiamnum hærentis situm commodius exploravimus: obtulit se hinc capitis integumentum ilico, propendens mirum in modum cum cranii ossibus ab invicem planè solutis ac dehiscentibus: brachia pedesque miserè erant intorta. Foetu pro viribus liberato & anteriora versus tracto, forfice cranii integumenta incidimus, vulnusque digito deinceps dilatavimus, è quo ichor purulentus gravissimi foetoris mox erupit, quem sequebatur cerebrum flaccidum & putrilaginosum: exemptis hinc cranii lamellis aliquot, foetum ipsum è cavernis suis tandem eduximus, qui tamen ob inversum artuum situm intra ipsa ostia constitutus, valdè renitebatur, donec ibidem liberatus, totus extractus fuit: Educti trunci facies livida fuit & omnimodæ corruptelæ proxima: Puerperam jam omnes salutarunt hilares, nosque exactâ diatâ præscriptâ, injection. uterinæ ad modum Mauricæi usum summe necessarium inculcavimus, præscripto juxta pulv. blandè diaphoret. Undecimo à partu die conveniens nos maritus uxorem bene se habere nuntiavit, parum ab illo tempore sitiisse, appetere, & sine ullâ difficultate obambulare: nullum percipi foetorem vel dolorem, ab injectione primis vicibus adhibitâ, plurimam sanguinis grumosi & putrescentis copiam excrevisse cum

frustis sanguinolentis duos pugnos magnitudine æquantibus, nunc lochia legitime citra incommodum profluere, & pro opera præstita magnas gratias exolvit.

S C H O L I U M,

Fœtus domicilium, commodumque habitaculum uterum esse, alibi diximus: Comoratur sanè in hoc, usque dum decreta curricula compleantur, ipseque maturitatem legitimam adeptus, non alieno amplius sed proprio ore spirare desideret: Inde aliqui fœtum fructui maturefcenti uterum verò arbori comparaverunt, instarque ejus de petiolo sponte decidentis deciduum fieri existimârunt, in quo equidem difficultas haud levis obstat, de succi nutritii affluxu cessante, uteroque parilem cum petiolo ariditatem contrahente: ast largiamur dissimilitudinem istam, propterea tamen comparatio ista prorsus rejicienda non est, locumque sibi vendicat præprimis in abortibus à causâ vehementi, saltu, cursu aliove graviore exercitio oriundis, à quibus, uti pomum immaturum à vento impetuosiore, fœtus de ponte suo dejicitur: Aliàs solenne pariendi statumque tempus novem mensibus absolvitur, quibus exactis uteri latebras ille relinquere, liberioremque auram haurire desiderat: De causis partus Authores variè senserunt, quorum aliqui alimenti penuriam, fœtus aquarumque molem alii, alii denique harum acrimoniam stimulantem accusant: Neutri tamen causam genuinam usque indagârunt: Enimverò succi nutritii jugem præsentiam & abundantiam contra Aquapendentem, autopsia probat, ipsius verò acrimonia adeò suffulta nondum est, ut fœtum inde irritari, adque calcitrations quibus involucra sua distrumpat instigari, certò constare possit, accedit, quodd dicta involucrorum laceratio sæpenumero à conatibus matris, uterique motricibus fibris ad excernendum se componentibus deducenda, utpote à quibus humores cum membranis involventibus in angustum coguntur, fundoque uteri sese coarctante, cum impetu propulsi exitum quærunt, de quo sonitus non rarò perceptibilis, sufficienter testatur: fœtus verò moli respondet Excell. Harvéus ex autopsiâ, quâ edoctus fuit, fœtum novimestrem octimestri aliquando minorem esse, mirumque est, si pondus fœtus tantum valet, scēminâ femellos gestante, partum non accelerari: alia hinc invenienda est ratio exclusionis stato tempore fieri solitæ, quam fœtus mole ceu stimulante non prorsus rejecta, in respirationis necessitate quærendam esse ab initio innuimus, quâ in parte præeuntem nobis habemus Aquapendentem, apertè autem consentientem Celeberr. Bohnium Progymnasim. 3. de partu: non equidem quasi per appetitum elicitum, (verba sunt ipsius) squaloris uterini novimestris

vimestris pertæsus, fœtus auram liberiores exposcat ac anhelet, sed quod fluidum ejus intrinsecum sine motore externo machinæ magis grandescenti impar evadat: Equidem in uteri claustro quamdiu occultatur, unâ cum sanguine materno illud haurit, quod pulmonum ministerio in adultis in sanguinem secernitur, pabulum æthereum intelligimus, sanguinis intestinum motum, suscitâs supervenientibus materiæ subtilis subsidiis, à quo ipsummet jugiter actuatur, ut non abs re Hippocrates l. f. citat. *τὸ πνέσμα εἶσω ἔλκεν* asseruerit: cùm verò grandescente corpore auctâque humorum copiâ eorundem motus, qui lentior primum sufficiebat, intendi necessariò debeat, particulae elasticæ à matre suppeditatæ sine superfluariis aliis sufficere impossibile possunt, unde plenioris accessum exigens, absolutâ hac solenni morâ, partu excluditur, eodemque quo editur momento, respirare incipit: Naturalissimus iste est, ubi capite edi incipit, humeris ad latus utrumque inclinatis, in quo ipso tamen obstacula gravissima accidunt, quandoque enim fœtu grandiore existente, viisque angustioribus, maximè in primiparis, aut viribus jam attritis, lamellæ cranii teneræ adhuc, satisque laxè invicem unitæ, comprimi, elongari, aliterque vitiari in situ assolent, ut nonnisi summo cum labore fœmina enitatur, sæpius verò ex vehementi nisu mora que quam circa orificium internum fœtus nectit, inter integumenta capitis sanguis stagnat & in vesiculam quasi colligitur, quâ deinceps propulsâ & ab orificii dicti fibræ coarctatâ, parturitio difficillima subsequitur, ceu prior historia docet, cui similes aliquot jungere possemus: sunt tandem perversæ fœtus situationes aliæ complurimæ, matri fœtuique exitium non rarò accercentes, ni peritæ obstetricis, Chirurgi & aliquando Medici manualis industria accesserit, de quibus videsis elegantem Mauricæi laudati de art. obstetric. librum, Medicorum sanè in isthoc negotio opem, uti necessariam laudamus, ita talem esse cupimus, ne quid contra dignitatem gravitatemque molietur sæpius, quod Ministris prudenter præcepisse satius foret: Id magè mirum, potuisse fœtum in uteri latebris hæere ad putrescentiam usque, absque gravioribus incommodis symptomatibusvè matri illatis, quæ sanè haud dubiè citius subsecuta fuissent, nî secundinæ primum exclusæ essent, in Rustica altera, quam præter hominum spem atque expectationem ab onere suo per Dei gratiam liberavimus: ubique certè Medici Chirurgive prudentia requiritur, ut adhibita manuali opera, inflammationi uteri periculosa subveniat, sanguisque vel in vasis tantisper subsistens, vel uteri cavo collectus solvatur, in motum suscitetur, èque latebris eliciatur educaturvè, cui operi præstando injectiones necessariae maximi que usus sunt, non neglectis internis humorum blando motui, viriumque conservationi inservientibus: Genitalium quoque habenda ratio

rio, ceu partium teneriorum, & in difficili partu multum labis sustinentium, de quibus cum in histor. diximus tum Authorum monumenta amplius videri poterunt.

OBSERV. XCI.

*Perverſæ Gravidarum imaginationis vitioſi
effectus.*

Certum est, quòd à multis quaesitum est sapiùs, prægnantium affectus, foetus qui in utero sunt, posse vitiare, unde tot maculæ infantibus vini, suillæ cutis, punicorum malorum ac talium. Sed & illud experienciâ constat, gravidas vel terrore concussas, vel ex objecti monstroſi attentiori speculatione, foetum similiter vitiatum, non rarò peperisse. In Moguntino accidisse refert Sebastianus Münsterus, ut duæ mulieres, quarum altera prægnans esset, invicem colloquerentur: currens alia supervenit, quæ loquentium capita collisit: quæ grvida erat, dum pareret signa timoris in infantibus expressit, siquidem duas puellas peperit, à summa fronte usque ad nasum è facie junctas, sic ut nonnisi obliquè spectare possent: Hujuscemodi historiam quoq; videre licet Exerc. XXII. ad Pythag. An. 1672. in nosodochio nostro foemina quædam infantulum peperit, quem cum Chirurgo ordinario vidimus aliquoties: huic labium utrumque firmiter coaluerat, & superius adeò excreverat, ut bilinguem primo intuitu crediderimus, juxta in utroque existentibus fissuris leporinis, &c. Mater rogata, culpam omnem terrificæ imaginationi, ex contemplatione hominis pari fissurâ laborantis, & labio superiore prætumido, attribuit: nec minus curiosis auribus digna historia infantuli, de qua Clariss. D.D. Theodorus Zuingerus, Amicus honorandus, cum An. 1680. in illustri Tigurinorum Athenæo versaretur, nostram sciscitatus est sententiam: Præteritâ, inquit, septimanâ infantem secuit 5. septimanarum Cl. Dn. D. Lavaterus me præſente, cui ab ortu tumor quidam œdematosus lumborum vertebraſ occupârat, sero limpidus, acris, subflavo plenus, qui octo ante obitum diebus sponte rupit & subsedit: post ulteriorem hujus apertionem, statim occurrit spinalis medulla, sepimento os-